



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

713. Quid possit circa beneficia resignata permutationis gratiâ, dum ea aliàs spectant ad collationem solius Episcopi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

lina, providere beneficium sit actus jurisdictionis Episcopalis omnino necessarius ad rectam diocesis administrationem; in jurisdictione autem necessaria Episcopi succedat Capitulum Sede vac. juxta Gl. communiter receptam in *Clem. 1. de hereticis. §. 1. v. capituli*. Quorum sententiam probabilem reputat *Dian. p. 8. tr. 4. resol. 27* Contrarium tamen probabilius tenent *Castrop. loc. cit. n. 10.* citans *Azor. p. 2. l. 3. c. 38. q. 6. & l. 6. c. 26. q. 9.* *Barbof. cit. n. 110.* *Garc. p. 5. c. 7. n. 53.* citans *Rebuff. Coraf. Felin. & c. Fermof. cit. q. 24. n. 4.* ed quod Episcopus non arctetur speciali aliquo titulo providere beneficia devoluta, quo non arctetur conferre ea, quorum collatio jure ordinario ad eum spectat. Item quod beneficia devoluta Episcopus conferat jure delegationis; Capitulum autem non succedat in iis, quae competunt episcopo jure delegationis, etiam à jure communi inducta, juxta tradita & pluribus firmata per *Abb. in cit. c. cum olim. q. 5.* *Garc. loc. cit. n. 42.* *Sanch. l. 8. d. 2. num. 10.* apud *Castrop. Ac denique, quia Capitulum interdicta beneficiorum provisio, episcopo competens, exceptis casibus in jure expressis, inter quos non est beneficiorum devolutorum provisio. Castrop. loc. cit.*

2. Porro observandum hanc secundam sententiam non procedere, dum beneficia devoluta ad episcopum sunt collationis necessariae in sensu q. praeced. explicato, nimirum si institutio & confirmatio spectans ad inferiores, ob eorum in instituendo, vel confirmando negligentiam devolveretur ad episcopum. *Fermof. loc. cit.* hac ratione conciliare volens utramque sententiam inter se, & dicens de hac collatione necessaria loqui AA. plures ex AA. sententia primae. *Barb. loc. cit.*

Quaestio 713. Quid sit circa beneficia resignata permutationis gratia, dum ea aliàs spectant ad collationem solius Episcopi?

Respondeo: capitulum Sede vac. etsi auctoritatem praestare possit permutationibus, seu recipere resignationes beneficiorum factas permutationis gratia, dum ea aliàs spectant ad collationem Capituli, vel etiam ad collationem episcopi & Capituli simul; quia admissio permutationis est actus jurisdictionis episcopalis, ad rectam diocesis administrationem spectans, adeoque transit in Capitulum; cum non inveniatur in jure excepta. *Barb. loc. cit. n. 97.* citans *Gl. in Clem. 1. de rerum permutat. v. conferantur.* *Garc. p. 11. cap. 4. à num. 75.* *Bonac. de simon. q. 4. §. 12. n. 7.* *Azor. p. 2. l. 7. c. 29. q. 4. & c.* cum communi. Quod etiam facit, quod permutantes compellere possint Superiorem admittentem permutationem, ut sibi beneficia permutata conferat; quia sub illa conditione permutatio facta est, adeoque sunt collationis merè necessariae, quam facere potest Capitulum Sede vac. Beneficiorum tamen permutatorum, dum ea aliàs spectant ad solius episcopi collationem, collationem facere non potest Capitulum Sede vac. *Castrop. cit. p. 29. n. 18.* citans *Garc. p. 11. c. 4. n. 75.* *Fermof. tr. de Capit. Sede vac. q. 25. n. 4.* citans *Dian. p. 8. tr. 4. resol. 29. & c.* *Barb. cit. num. 97.* citans *Riccium in collect. collectaneo. 2487. p. 6.* Responsio hac fundatur iterum in generali ratione, nimirum, quod Capitulum interdicta sit provisio beneficiorum spectantium aliàs ad liberam episcopi collationem, qualis est collatio beneficiorum resignatorum permutationis gratia.

Tametsi enim beneficia permutata necessario conferenda sint permutantibus, ita ut hi compellere possint admittentem permutationem, ut eam perficiat, beneficia permutanda sibi conferendo; quia tamen hac necessitas collationis non provenit aliunde, quam ex libera permutationis acceptatione, quamque propterea non alius (uri aliàs contingit in collatione beneficiorum, ad quod quis praesentatus est) sed Episcopus libere acceptans permutationem sibi ipsi injicit, collatio dicenda est absolute libera, & non nisi necessitate consequente, nimirum ad liberum arbitrium, & necessaria; adeoque dum dicitur, Capitulum conferre posse, quae sunt collationis necessariae, intelligendum id non est de conferendis necessario hac necessitate consequente, sed de conferendis necessario absolute, & necessitate ab aliis Episcopo imposita. *Castrop. loc. cit. n. 19.* Quod si tamen permutatio jam admissa esset à vivente Episcopo, & necdum ad effectum perducta, posse eam perfici, & sic beneficia permutata permutantibus conferri; docet *Garc. p. 11. c. 4. n. 81.* ed quod, supposita dicta admissione, perfectio illius debeatur, spectetque ad jurisdictionem necessariam. Quod ipsum tamen non placet *Castrop. loc. cit. n. 20.* ed quod (praeterquam quod talis casus vix contingere possit; cum admittens permutationem eo ipso seu eodem contextu admittat resignationem, & conferat resignata) hac perfectio permutationis seu collatio facienda ab Episcopo, si supervixerit, in sensu jam explicato foret libera, Adeoque dici non potest in ea succedere Capitulum. Atque ex his jam etiam alterum inferit *Castrop. num. 18.* nimirum, quod neque beneficiorum spectantium ad collationem episcopi, permutationem recipere possit Capitulum, ed quod, cum recipere nemo possit permutationem, qui non etiam possit permutata conferre (dum permutantium quilibet hac conditione, & non aliter resignat suum beneficium, ut loco illius beneficium alterius sibi conferatur) non possit permitti Capitulo facultas recipiendi permutationem, quin relinquatur eidem potestas permutata conferendi, & e contra, collatione hac ei verita seu interdicta, non possit non esse ei verita receptio permutationis, etsi hac dicatur esse actus jurisdictionis episcopalis. Idem expressè sentit & comprobatur manifesto exemplo *Parif. l. 2. de resign. q. 16. n. 4.* relatis pluribus aliis, dum ait: Reservatio impedit permutationes coram Ordinariis: nam si possint admittere permutationes, deberent conferre permutantibus, juxta *c. 1. de rerum permut. in 6.* & ibi communiter AA. & quia conferre non possunt, prohibentur admittere permutationem. Quibus contrarium non dicit *Parif.* dum *ibid. num. 2.* tradit, posse resignari coram Ordinariis reservata, etsi ab iis conferri nequeant; Longè enim diversum est reservata resignare simpliciter & absolute, & resignare ea permutationis gratia; nam nil vetat, resignari simpliciter beneficium in manibus alicujus, qui id conferre nequit, ut patet, dum resignatio fit in manibus episcopi, & collatio saepe ab inferiore collatore; quae, quia confudisse hoc loco videtur *Castrop. mirum non est, quod is Parisium citer in contrarium & contra se.*